

V C
1694





228 Q. XVII, 7.

Vc
1694

Q. D. B. V.

FRIDERICVS III.

SAPIENS, SAX. ELECTOR,

publice propositus,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE

SCHVRZFLEISCHIO,

RESPONDENTE

IOANNE GEORGIO HAHNIO

Dresdensi,

Ad D. XII. SEPTEMB. A. 1674.


In Auditorio publico,

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XXXI.

LIPSAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM,

clō lōc XCIIX.



1774

Bl. XVII

FRIDERICVS III

SAPIENS SAXIFLECTOR

princeps philosophus

PRÆSIDI

CORRADVS SAMVEL

SCHVARSZELFISCHIO

REPORTANTE

IOHANNES GEORGIVS HANNIO

Dresden

in der Stadt

in der Stadt

LIBRARY

UNIVERSITÄT





I.



Onsilium mihi est commemorare de FRIDERICO III. Saxoniae Duce atque Septemviro, Principe Sapiente et fortunato, ac prorsus tali, qualem superiorum status temporum requirebat. Cuius virtutes ita cognitae sunt et passim exploratae, ut scribendi argumentum praebuerint Paulo Langio, Monacho Zitizensi, Philippo Melancthon, Germaniae Praeceptor, Desiderio Erasmo, instauratori literarum apud Belgas, et merito, ut esset inter Caroli V. Consiliarios, Ioanni Sleidano, Protestantium diligenti historico et fido, Georgio Spalatino Elect. Saxon. Frid. a secretis, et Ioanni Elect. a sacris, et non modo in historia Saxonica, sed etiam in tabulariis multa cum industria versato, Georgio Fabricio, Petro Albino, Laurentio Peccensteinio, Augusti et Christiani I. et II. Elect. Sax. historiographis, Michaeli Boiemo, Balthasari Mencia, Didymo Faventino, Caspary Peucero, Matthaeo Dressero, Iacobo Augusto Thuano, Abrahamo Bucholcero, qui et praeclare de eo senserunt, et rectissime scripserunt. Martinus Lutherus, qui sub eius tempore Ecclesiae statum emendare divino auspicio aggressus est, sic de eo iudicat, ut plane existimet, non fuisse facile Principem, quem ei pietate ac benignitate praeferrere oporteat, *apud auctorem descript. stemmatis Saxon. p. 181. conf. Baltb. Mencia de orig. Sax. in Frid. III.*

II. Sed omnia eius acta iustis temporum intervallis distingvere, nec finit magnitudo Principis, nec patitur nostrum institutum, nunc enim nobis potissimum curae est, quae voluntate, quae cura ac diligentia Imperatores Austriacos complexus sit, et quae ornamenta ab his in eum profecta fuerint, quae sane omnium consensu maxima sunt, et ad posteritatis memoriam servanda: neque ego scio, an quispiam Principum maiorem a Caesaribus provinciam acceperit, quam Fridericus, quo neque aliquis Maximiliano I. amicior, neque tunc Imperio Romanorum utilior fuit.

III. Id ut omnes intelligant, afferam literas, quibus integritas atque egregia merita Friderici III. in tantum a Maximiliano I. praedicantur, in quantum ad augustae dignitatis amplificationem pertinebant. Eae quo ex loco et tempore datae fuerint, ex subscriptione perspicui potest, id est, *in civitate imperiali Augusta, die octava mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo, regnorum eius Romani* (non scribitur, imperii, quia Romae non est consecratus, more exemploque historico, non autem negandi, nedum imminuendi iuris Imperatorii causa) *quintodecimo, Hungarici undecimo* (nam et iam ante Maximilianum I. pater eius Fridericus III. aliis, qui Fridericum Brunsvicensem annumerant, IV. ratione iuris, quod in Vngariam praetendebat, titulum regni Hungarici sumpsit, quod testatur Albertus Crantzius Vandal, lib. 12. cap. 36.) Nos ex iis, quae proposito serviunt, haec seligemus, quae totidem verbis ibi post alia leguntur. *Praeterea ex praefata nostra regia auctoritate, damus et concedimus plenam et omnimodam ex certa nostra scientia motuque proprio potestatem, quod possis et valeas* (haec tali stylo diriguntur ad Fridericum III.) *in provinciis tantum et iurisdictione Ducatus sui* (Saxonici, et qui huic innexus est, Electoratus, atque adiunctarum ditionum, ut sequitur) *et terrarum tuarum hae-*

re-

reditariarum universis personis, quae sub dominio et iurisdictione tua: et a te idoneae, honestae, habiles et virtutibus insignes ac clarae repertae fuerint: super quibus conscientiam tuam oneramus, concedere, dare atque largiri clypeos ac galeas cristatas, insignia armorum et ius deferendi: eisque omnia alia et singula privilegia, iura, immunitates, honores, consuetudines et libertates dare atque conferre, ut eisdem uti frui, gaudere et laetari possint, quibus coeteri idem armorum ius a nobis nacti haecenus freti sunt: seu quomodolibet potiuntur consuetudine, vel de iure, decernimus igitur et hoc regio statuimus edicto, quod huiusmodi per te privilegiandi, et eorum haeredes, si ad eos etiam privilegium extendere volueris, ac haeredum haeredes seriatim in perpetuum clypeos, arma et insignia per te illis conferre, habere, deferre ac gestare, illisque in omnibus et singulis honestis decentibusque actibus et expeditionibus, tam serio, quam ioco, praelio, duello, singulari certamine, hastiludiis, quibuscumque pugnis cominus et eminus, vexillis, tentoriis, signis, sigillis, monumentis, aedificiis, suppellectile, et aliis in locum omnibus, prout eorum voluntas ac desiderium requisiverit, aut necessitas exegerit, uti frui possint et debeant, aptique sint et idonei ad ineundas et recipiendas omnes praerogativas, gratias, libertates, iura et consuetudines, quibus caeteri a nobis et sacro imperio huiusmodi ornamentis insigniti gaudent et potiuntur absque alicuius impedimento et contradictione.

IV. Quo honore cum impertitus esset, auctoritas dignitasque singularis ei conciliata est, ut quibusvis imperii negotiis iisque arduis adhiberetur, sique inter spem et metum respublica fluctuaret, Caesar Maximilianus consilio eius tanquam Patris uteretur, reliqui vero Principes ipsum tanquam exemplum intuerentur, et non modo haec summa meritorum ornamenta gratularentur, sed etiam cognomen sapien-

tis, quod supra omnes laudes est, adderent. Quae fama ad exteros quoque permanavit, ut eum hoc titulo ornarent. Thuanus palam et clare scripsit, *sapientis elogio posteritati commendatum esse*, hist. lib. I. Desiderius Erasmus, ad quem aliquoties literas Princeps noster exaravit, in epistola, quam anno 1517. seditam Svetonio praefixit, viventem ad hunc modum allocutus est. *Tuas eximias, Federice* (imitatione scripturae Itatorum) *dotes, cum sint insigniter insignes, non mirum, si famae celebritas ad nos usque devexerit.* Quod facit, ut merito censeamus, Fridericum pariter imperii et literarum dignitati natum, cum Maximiliano allaborasse, ut Germania multis ante bellis afflicta pacaretur, et studiorum, quae superioribus temporibus neglecta fuerant, fama inprimis celebraretur.

V. Amplior isti laudi cumulus accessit, quando Maximilianus eum tanti aestimabat, ut dignum haberet, cui rectoris imperii munus committeret. Passim enim obvia sunt diplomata, in quibus conspicitur titulus *locum tenentis imperii* ipsi attributus. Vidi quoque numum, in quo haec verba incisa sunt: *tenens locum imperii.* In Tevtonicis huiusmodi elogium reperi: *Königlicher Königlich Majestät/ und desselben Reichs - Stadthalter General.* Priusquam vero hunc titulum usurpavit, *supremi consilarii* dignitatem habuit; in quam rem extant tabulae, quibus scribitur *R. M. Oberster-Rath.* Quod non possum, quin existimem, Principis maximi, et vere sapientis fuisse argumentum.

VI. Fidem facit Georgius Spalatinus, actorum horum, si quisquam, gnarissimus, Fridericum III. ab eo tempore, quo primo illum honorem gessit, beneficio Maximiliani I. Caesaris hunc titulum perpetuo retinuisse: *chron. part. 3. de orig. El. Sax.*

VII. Quod cum apud animum reputo, iucundum mihi

mihi est recordari diversitatis styli atque temporum : nam qui Maximiliani aevo *locum tenentes imperii* dicti sunt, superioribus temporibus appellati fuerunt imperii *provisores*. Ita in quodam Henrici VII. diplomate observavi, Bertoldum Hennebergicum regnorum Henrici *provisorem cum plenaria potestate* constitutum fuisse. Huc vid. VVolfgang. Mollerus de vita et reb. gest. Bertoldi p. 15.

VIII. Non opus est, ut quid addamus de vitae eius gravitate, et spectata erga Imperium fide, de qua dicta publice testimonia sunt in promptu, quorum cum multa esse sciam, tum mihi strictim omnia attingenti hoc unum sufficere debet, quod omnium consensu meruerit, ut diceretur *amator pacis, prudentissimus Princeps, sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, defensor legum, controversiarum finis, Imperii Romani columnen, monumentum patriae, morum speculum, decus Principum, disciplina civium*. Quae elogia satis per se splendida sunt, et publicis sermonibus celebrantur: vid. Laurentius Faustus de El. Sax. p. 181. Elias Reusnerus in stemmat. VVitichindeo p. 43. conf. Philippus t. 2. declamat. in orat. pro eo hab.

IX. Ex quibus licet cognoscere, Fridericum et Imperatoribus sibi aequalibus maximo usui, et imperii Ordinibus fuisse: neque dubito, eius consilio atque cura factum, quod Maximilianus I. Ordines tanta benevolentia atque liberalitate complecteretur, ut in partem Imperii iurium reciperet, et divina quaedam summae potestatis temperatione caput atque imperii membra sibi invicem devinciret. Quod etsi ab historicis non est proditum, tamen multis modis redditur verosimile, quoniam sine eo non facile arduum consilium capiebat Maximilianus, nec erat tunc quisquam inter Principes Imperii Friderico par, sive scientiam publicarum rerum, sive usum spectes, frequentissime aderat Maximiliano,

no,

no, et liberrime admonebat, a livore ac malignitate tanto alienior, quanto averfabatur superiora dissidia et quaesitum dominatum, et cupiebat Imperii esse munimentum eam constitutionem, qua belli ius primo cum Ordinibus communicatur in hanc sententiam. *Auch sollen wir/ und unser lieber Sohn Erzherzog Philips / auch unser Churfürsten/ Fürsten und Stände des Reichs / ohne Wissen und Willen Jährlicher Versammlung/ keinen Krieg oder Wehd anfaben/* et quae his consequentia sunt, ac de iure foederum in eandem rem, et communicatae certe cum Ordinibus maiestatis argumentum fanciuntur. **Handhabung des Friedens zu Wormbs anno 1495. tit. 5.**

X. Cuius consilii dignitatem auxit, cum Septemviris auctor esset peculiaris, et hactenus apud Germanos inaudita, cum electo Imperatore faciendae pactio, quae proprio nomine et more pragmatico *capitulatio* vocatur. Nam tunc una opera et amorem fidemque Saxoniam erga Austrios, et prudentiam Collegis, et sollicitudinem atque officium omnibus Imperii ordinibus approbavit. Ioannes Sleidanus haec diligenter memoriae tradidit, dum confirmat, Fridericum Carolo V. suffragium dedisse contra Gallum, mox addidisse, *placere sibi, ut is renunciatur Caesar, veruntamen certis legibus, ut Germaniae sua libertas constet.* Atqui vero inter eas leges, sive pacti capita et hoc fuit, quod Imperatori non sit integrum gerere bellum, *nisi de Ordinum, praecipue Septemvirorum voluntate:* lib. I. comment. Quod me non sinit dubitare, Fridericum, qui hoc tale svasit Collegis, idem svasisse ante Maximiliano, cum ederet constitutionem de conservanda pace. Cur autem iudicaverit religione pacti alligandum Caroli animum, nullo odio Caroli, sed amore libertatis, et privilegiorum Imperii Ordinum, factum esse constat. Nam ut ex eventu fides est, oblatum sibi im-

pe-

perium recusavit, et suffragium suum Carolo V. tulit: quod quia pertinet ad Friderici decus atque dignitatem, minime omitti debet, et doceri potest testimonio Erasmi, affirmantis, id se ab Episcopo Leodiensi, qui praesens in comitiis fuisset, tanquam compertissimum accepisse. Consentiant Io. Sleidanus, Ioannes Funccius in chronologia antiquioris editionis, hos sequuntur Laur. Faustus, Balth. Meneius, Elias Reusnerus, aliique. In qua causa duxi utile futurum, si ipsa Erasmi verba ascribamus ex epistola ad Ioannem Episcopum Roffensem scripta, quae lib. XIII. voluminis eius epistolarum continetur. *Dux Saxoniae Fridericus, post quaedam interiecta, ab omnibus delatum imperium ingenti animo recusavit, idque pridie, quam Carolus eligeretur, cui nunquam contigisset Imperii titulus, nisi Fridericus deprecatus esset, clarior honore contempto, quam fuisset, adeptus.* Cur vero se excusaverit, expeditas habet rationes, siquidem praeter grave senium, et tempora, quae instabant, periculosissima, putabat in merita Maximiliani contumeliosum fore, si ad alium, quam ad eius nepotem Carolum, Imperium deferretur. Memor enim erat intercessionis Maximiliani pro Carolo factae, et intelligebat, sibi potissimum incumbere, ut hanc causam ageret, et non modo honori stirpis Austriae de Germania tam praeclare merita, sed etiam salutem Imperii consuleret. V. Casp. Peucerus, vir rerum Austriarum Saxoniarumque peritissimus, et si eruditio sine religione pensitatur, incomparabilis, chron. lib. 5. in Maximil. Neque primum hoc exemplum est oblatae Marchionibus Misniae Imperatoriae dignitatis, quandoquidem circa tempora Caroli IV. eadem suscipiendi Imperii occasio data est Friderico II. cognomento gravi, sed tantum abest, ut amplexus fuerit, ut etiam iure suo cesserit, et id Carolo IV. reliquerit, Albertus Ar-

B

gen-

gentinensis Chron. p. 145. Non alia mens Friderico III. fuit, utpote qui nihil amavit, nisi quod ingenuum moderatumque esset. Is a nobis III. dicitur in serie Electorum, nam in ordine Marchionum Misniae VI. debet nominari.

XI. Haec et talia dum mihi in mentem veniunt, liceat quoque cognoscendi esse cupido, quamobrem Fridericus, qui, uti tradunt * quidam, tribus vicibus interrex, sive Imperii Vicarius fuit, ac tricies interfuit Comitibus, rerumque adeo Imperialium scientissimus est habitus, in Senatu Electorum dixerit, *legem* esse, qua exteri, exempli gratia Galli, a iure capeffendi Imperii excludantur: V. post Sleidanum Georg. Sabinus de elect. et coron. Car. V. tom. 2. apud Sim. Schardium: cum tamen sit longe exploratissimum, nullam eiusmodi legem esse proditam. Nam qui eo Ottonis III. constitutionem allegant, merito credulitatis coarguunt, neque rectius existimant, qui firmandae opinioni afferunt Caroli IV. legem, quae A. B. dicitur, qua nil tale continetur. Sed id vero gloriam Friderici non imminuit, nec labefactat auctoritatem, siquidem in ea consultatione quaestio erat non tam de lege, quam effectu legis, quem etiam habet consuetudo, quia legem imitatur, non aliter, quam ipsimet Galli solent, cum se non possunt tueri lege Salica contra successionem feminarum in regno, provocare possunt ad consuetudinem, quae tantum in eo negotio valet, quantum ipsa lex: quam et Gallos excusandi rationem invenit Fr. Hottomanus, dum meminit legis Salicae adversus Eduardum III. allegatae, Francog. cap. 10. p. 118. Quin etiam si maxime fuisset creditum, talem legem olim esse vere ac re ipsa promulgatam, neque sic tamen quid detrahitur de sapientia Friderici, qui facile tunc iudicabat, non eum esse statum temporum, ut sibi vacaret eruere id, quod saltem omnium con-

sen-

sensus eruditorum approbasset: imo ipsi sufficiebat, ius Germaniae postulare, ut tantum Germanus eligatur: ius autem illud scriptum fuerit, annon, ad curam eruditorum, et, si non recte eruisent, ad culpam pertinebat. Atqvi hoc non initium fuit errorum in historia imperiali admissorum: illud sane magis est dolendum, quod in ipsam auream bullam pleraque irreperint, fama potius, quam incorruptis innixa monumentis: quod tamen augustissimo Legislatore minime omnium vitio verti oportet, sed validae illorum temporum opinioni ascribi, sed in primis scribae, Bartolo, an alii, impu-
tari debet.

* *Estque ea opinio Balth. Mencia de stemm. El. Sax. conf. Laur. Faust. p. 181. Revera bis interrex fuit, et Friderico III. Imp. avunculo consilia dedit, atque tricies comitia et arduas deliberationes auctoritate ac praesentia sua ornavit, G. Fabric. orig. Sax. lib. 8. p. 20.*

XII. Sed de eo satis mentem atque sententiam nostram declaravimus, et quae ad Friderici laudem atque commendationem pertinent, vindicavimus, nunc rationem ineamus eius laboris atque diligentiae, quam contulit ad imperii utilitatem, et virtutes suas magis et magis illustravit. Quamquam autem iis rebus primas facile partes obtinuit, et natu maximus inter omnes Septemviros, ac praecipuus auctoritate inter cunctos Principes fuit, ut recitata a Sleidano et Sabino testimonia ostendunt, tamen non defuerunt quidam corrupto iudicio homines, qui crimini dederunt, quod Luthero acriorem emendationem auspicanti indulserit, ut occasionem nancisceretur potentiae augendae. At qui Friderici ingenium et pietatem cognitam habent, longe aliter sentiunt, et facti eius invidiam merito amoliuntur. Tum vero ipse se purgavit satis, literis ad Thomam Caietanum et



Valentinum Ditlebium scriptis, neque alia istarum indignationum causa fuit, quam quod quaestus atque nundinationes in Saxonia atque Misnia inhiherentur. V. praeter Sleidanum, Didymus Faventinus adversus Thomam Placentinum, Chron. Cario-Peucerianum lib. 5. p. 936. Sunt in manibus meis schedae manuscriptae Ioannis Neoboli, quae beneficio Ioannis Georgii Maii, viri doctrina eleganti, et publico sacerdotio praediti apud Svevos, ad me pervenerunt, in quibus hoc argumentum ita attingitur, ut appareat, quaestores istos non modo praeter officium Christianae pietatis, sed etiam contra ius ac privilegia Ducatus Saxonici merces suas obtrusisse: utrumque vero tale erat, ut tolerari non posset, salvo Dei atque Principis honore. In quam rem videatur scriptum sub titulo, *Anfang und Ursach Doctor Luthers Predigen und schreiben wider den Ablass* / quod manuscriptum asservamus.

XIII. Pacis inter Principes conciliandae erat cupidissimus, nec minus Carolum V. quam Maximilianum, summa cum pietate ac fide dilexit: neque dubium est, si ipse et Ludovicus Elector Palatinus vixissent longius, Carolum non sumpturum fuisse arma contra Protestantes: nam uterque fama et auctoritate plurimum pollebant, Fridericus etiam maiori constantia de Carolo V. meritus est, cum de eo ad dignitatem imperii asciscendo consultaretur. Equidem Hubertus Thomas Leodius testis est, Ludovicum Electorem Palatinum principio recusasse venire ad comitia Augustana, anno cl^o 15^o XVIII. indicta, et moleste tulisse, quod in iis de eligendo Carolo Maximiliani nepote tractaretur: *de Friderico II. Palat. lib. 4. p. 65.* Contra quam solebat Fridericus, qui Maximiliani I. merita in ore semper atque amore habuit, et pro Carolo V. dixit egitque acerrime, nunquam im-

immutata erga ipsum voluntate, et, quantum facere Saxo posset, prodito exemplo. Postea tamen Ludovicus quoque mutavit consilium, et Maximiliano mortuo, in Friderici nostri sententiam ivit, atque in summa erga Carolum benevolentia, et postquam imperator factus est, obsequio perseveravit.

XIV. Quod indicium est profecto manifestissimum fidei et constantiae Saxonorum Principum, qui ab amicitia Austriorum seiungi noluerunt, atque omni tempore nil prius faciendum sibi putarunt, quam ut observarent diligenterque Austrios, ac pro iis consilia caperent, ducerentque exercitus contra ipsorum hostes, et studerent, Caesares suos esse salvos, qui salvam rempublicam vellet. Dandus est scriptioni locus, et alii post alios enumerandi, non ut de gloria Friderici nostri detrahatur, sed quo demonstretur, omnes Saxoniae Septemviros eadem mente, eadem fide atque officio erga Austrios fuisse. Nam ut de Friderici I. Elect. navato in bello Hussitico opera, et aditis periculis pro Sigismundo Lutzburgico, cuius filiam Albertus II. Austrius duxit, taceam, Albertus Dux, Friderici nostri patruus, Austriam armis asseruit, et Friderici III. Imperatoris ac Maximiliani I. Caesaris maiestatem tutatus est. Quod Maximilianum adduxit, ut utriusque Frisiae *hereditarium Gubernatorem* constitueret: diploma etiamnum legere licet apud Pontum Heuterum rer. Belg. lib. 6. p. 272. 273. Innocentius VIII. non dubitavit eum appellare *dextram Imperii manum*, quod nil antiquius communi salute ac libertate iudicasset, et ad augendam ornandamque Imperii dignitatem omnes conatus atque studia retulisset. V. G. Fabr. orig. Sax. lib. 7. p. 830. Chr. Cario-Peucer. lib. 5. p. 895. ex

eo T. VII. Hist. aug. p. 556. Ipse Albertus Crantzius, quamlibet in Duces superioris Saxoniae saepe iniquus, vere eum collaudavit, ac sequentibus verbis ornavit: *In castris moriens defecit, Princeps animo et rebus gestis egregius, qui canos suos multis bellis pro Imperio Romano fatigavit. Saxon. lib. XIII. cap. 27.* Paulus Langius *Ducem bellicosissimum* vocat, et, quod perpetuo animo Austriorum fixum manere debet, tradit, *Caesari rebelles per novem annos sustinuisse, ac iustis armis ad officium reduxisse, ad A. 1488.* Ad haec notissimum est, dixisse Matthiam Hunniadem, se, nisi pro salute Friderici III. Imp. propugnasset Albertus, in mediam Germaniam hostiles copias immissurum fuisse. *Sylv. Kundtman. in eo, cum quo conf. Michael Boiemus in vita eiusdem p. 61. seqq. edit. Lipsiens.*

XV. Fridericus III. ad quem directo spectat hic labor, non in bello quidem sed toga plurimum imperio profuit, et consilia Maximiliani inprimis moderatus prudenter est, ac omnem operam atque studium in conservanda reipublicae Germanicae tranquillitate, atque amplificando Austriorum honore collocavit. Eo spectant *litterae Maximiliani ad Fridericum, item diploma eius, quod Friderico anno c 15 15 datum est, Georg. Fabricius orig. Saxon. lib. 8. Laurent. Peccenstein part. 3. in eo, Sylv. Kundtmannus in eodem.* His addatur *Iacobi VVimpbelin-gi* epistola ad Fridericum III. anno c 15 15 VIII. scripta, quae conspicitur in antiqua editione Babenbergesi, et sane spectat ad augendam ornandamque Friderici nostri dignitatem.

XVI. Ioannem, et praesertim Ioannem Fridericum eius filium, Principes constantiae et pietatis exemplo

plo maximos, foedus Smalcaldicum * et religio acrius propugnata, ab amicitia Caroli V. disiunxerunt, sed Mauritius, quoad ratione providebat, causam belli haecenus mere civilem esse, nec de religione, sed obsequio erga Caesarem agi, consiliorum rationes ita gnaviter temperabat, ut praeproperae festinationis coargui ne posset. Itaque consilium suscepit tuendi auctoritatem Imperatoris, et impediendi, quicquid eius nomen atque dignitatem laedere videretur, cumque postea non tam Caesaris, quam Hispanorum acerbitate illudi sibi, et per latus peti sacra, et contra promissa atque datam fidem Protestantium privilegia convelli animadverteret, arma in eos convertit, a quibus sua et sociorum causa oppugnabatur: inde reconciliatione, cuius cupidissimus erat, facta, tranquillum atque in pacis studio defixum animum Carolo V. et Ferdinando I. eius fratri demonstravit: utrique etiam sic se totum tradidit, ut quemadmodum antehac eorum causa nullum periculum defugerat, ita anno MDLIII. ipsorum atque imperii auctoritatem vitae suae iactura, praelio apud Peinam commisso, stabiliret.

* *Foederis Smalcaldici nomen Carolo V. invisum fuit, usque eo, ut Smalcaldiam Hispanis diripiendam tradere voluerit, nisi Mauritius Georgio Ernesto Hennebergico aditum ad Imperatorem communicasset, atque effecisset, ut supplex vim deprecaretur, Wolfgang Moller in orat. pro eo hab. p. 18. Ceterum Granvellanus, Carolini Moderator consilii, de Smalcaldicis ominatus est, eos, si aliquando parva procella ingruerit, tanquam columbas, adveniente aquila, dispersum iri. conf. Deod. ann. lib. 7. Nec melior omine eventus fuit, neque vicisset Carolus Smalcaldicos, nisi conciliasset sibi Mauritium, et distraxisset animos Protestantium. Actorum fontes atque capita sunt apud Fridericum Hortlederum, von*
Br.

Ursachen des teutschen Krieges/ Ioannem Sleidanum, qui ex actis Bobemicis, Anno 1548. in lucem emissis, insignem historiae suae partem composuit, ex quo cognoscimus, Mauritium non fuisse foederis Smalcaldici socium, et falsos rumores sequi Natalem Comitem, ac Lambertum Hortensium de bello Germanico, illum Argentorati, hunc Basileae editum, et postea Scharciano volumine comprehensum. Sufficitque adeo, Carolum hoc foedus tanquam ad suam contumeliam pertinens interpretatum fuisse, et obtentu fidei erga se remque publicam Germanicam, plerosque Principes atque civitates imperiales a Smalcaldicis abalienasse: quoniam alioqui tunc temporis foederum bellicae defensionis ius Imperii Ordinibus minime erat derogandum, quod sequioribus temporibus foedere Friedenwaldensi, (vulgus historicorum Chamborticum vocat) usu probatum fuit, de quo vid. oratio historica H. Treutleri pro VVilhelmo Hassiae Landgravio p. 32. 33. ubi singularia quaedam et selecta, ac a Sleidano et reliquis historicis praetermissa annotantur. Tantum Ioannes Bodinus, ut saepe alias male est ingeniosus, ita eius foederis nomine Mauritio Albertoque proiecta audacia perfidiam imputat, cuius ineptias iamdudum castigarunt Cornel. Crull. in orat. publ. Io. Frid. Brandt apud Arumacum, Colerus, Clutenus aliique. De memorabili Mauritii dicto, in causa liberationis Ioannis Friderici et Hassiae Langravii, vid. Petrus Andreas Canonberius dell' introduzzione alla polit. c. 2. et MSP. quod mihi est sub titulo, Magdeburger Krieg.

XVII. Augustus oculus imperii dictus est, qui et Ferdinando I. rectissime consuluit, et divinis in rempublicam Germanicam meritis eluxit, ac revera Saxoniae suae Augustus fuit, neque a Ferdinandi I. excessu refrixit iste amor, sed summa pariter studia atque officia mutua inter Maximilianum II. Caesarem et Augustum conservata sunt, ac tanta inter utrosque familiaritas contracta, ut Maximilianus Augustum in fratris loco haberet, et Maximiliano vita functa Rudolfus II. eum veneraretur quasi patrem. Quo conf. Mich. Boiemi oratio pro Augusto, Georg. Fabricius, Lau-

Laurent. Peccenstein in eodem. Ioannes Limnacus, historiarum atqve iuris prudentissimus vir, ipsum merito suo *Φῶς τοῦ ὀμῆρα* imperii appellavit. Christianus I. et Christianus II. nihilo minori gratia apud Rudolfum II. floruerunt, fuitqve tanta huius et Christiani II. amicitia, ac tam iucunda consuetudo, ut ministris Hispanicis invidiam, reliquis admirationem excitaret. Cuius familiaritatis memoria atqve monumentum hodieqve servatur Pragae, ac mihi constat ex commentariis actorum Rudolphi II. et Christiani II.

XVIII. Ioannes Georgius I. qui sua potentia et magnitudine copiarum nulli retro Electorum concessit, nutantes Ferdinandi II. res opibus atqve auxilio sustentavit, et ortis in Bohemia motibus, maximo se periculo obiecit, cum ut Caesari fidem probaret, tum ut pactum *unionis*, quo reges Bohemiae atqve Electores Saxoniae mutuo copulantur, exemplo suo confirmaret. Cumqve postea Germania inquietorum odio hominum turbaretur, cum ratione consilia adhibuit, et bellum, quod defensionis necessitate coactus susceperat, deliberata, atqve ab ipsomet Caesare oblata pace mutavit, ratus, obstinationem mali esse exempli, si contra faceret. Quapropter hae voces Ferdinando II. in urbe Pragensi expressae sunt, quae veris, neqve levibus, nec ad adulationem compositis argumentis indicarunt, *Ioannem Georgium I. honesta moderatione temperasse iram, et non modo se amicum Caesaris, sed patrem Domui augustae exhibuisse.* Nihilo minorem divo patre laudem nostro tempore meretur Ioannes Georgius II. qui in bona causa primus Leopoldi adiutor fuit, et non magis pro eius existimatione

XX

C

at-

atque gloria, quam pro securitate imperii opportunam bello adversus Occidentales Francos operam navavit. Ut hoc foret quoque prudentibus iustum commentationis argumentum, et ut ad omnium notitiam perveniat, Tevtonico sermone explicandum. *

* *Titulus adornari, et iusto operi praescribi posset ad hunc modum. Was hat Chur Sachsen bey Desterreich gethan? Non inepta, neque inconvenienti imitatione Michaelis Praun iunioris, qui peculiari libro Germanice scripto exposuit merita Domus Austriae, atque ornamenta ab ea in Germaniam profecta: Was hat Desterreich bey Teutschland gethan? Enimvero ut Austrii de Germanis, ita Saxones de Austriis praeclare meriti sunt semper, nec iis in causa iusta defuerunt unquam, quod existimarent, capite male affecto, reliqua membra versari in periculo, et perpeti dolorem. Tum qua sedulitate ac diligentia de Austria, eadem de Germania universa laborarunt, cuiusmodi multa et egregia documenta dedit Fridericus III.*

XIX. Revertor ad Fridericum mitissimum mansuetissimumque, et ut summam eius virtutum complectar, prisca laude Principem, et Antonino pio aequandum, in quantum civium salutis atque incolumitatis studiosissimus fuit. Commodum enim hic memini, cum quidam in castris apud Erfurtum positus, urbis expugnandae occasionem ipsi demonstrasset, si vel quinque tantum militum impendio impetum facere se vellet, dixisse: *Nimis grave sibi id atque luctuosum fore, si vel unius viri iactura facienda sibi esset*: non quod ius fasque belli nesciret sapientissimus Princeps, sed quia negotium, quod transigi posse iudicabat, non statim bello disceptari oporteret, *Baltb. Mencijs in stemm. et orig. El. Sax. in eo.*

XX.



XX. Nec tantum in salute civium, sed etiam in dignitate Principum conservanda laborem suscepit, neque impeditus est metu, quo minus tale officium collocaret. Cuius dum recordari subit, uno argumento conficiam, uti intelligatur, quantum potuerit apud Maximilianum I. quippe cuius benevolentiae tam securus erat, ut Rupertum Palatinum nondum plane reconciliatum in Maximiliani conspectum adduceret, et nemine reliquorum Principum id facere auso, offensae veniam ipse solus Ruperto impetraret. *Casp. Peuc. chr. lib. 5. et ex eo T. VII. bist. august. p. 573.*

XXI. Verum enimvero, adversus Friderici III. merita sim ingratus, si in extremo huius commemorationis taceam, quod eius auspicio A. cIo Ic. II. haec Academia, tanquam communium literarum optimorumque studiorum domicilium, instituta sit, atque sub tutela et praesidio ipsius floruerit, et repurgatis per Lutherum sacris, ac dissipata per Melanchthonem barbarie, toto terrarum orbe eluxerit. Quod beneficium cum sit longe maximum, anniti pro sua quisque parte debemus, ut eius memoriam in omne tempus propagemus, et tanto Principi, quod docendae iuventuti hoc oppidum consecravit, ac eruditionis atque gloriae sedem esse voluit, perpetuam ac sempiternam laudem tribuamus, * et demum Ioanni Georgio II. qui praemia liberaliter constituta nobis etiamnum conservat, ac providet, ut in tranquillitate atque otio laborum molestias solari possimus, seriffimam aetatem atque tempora felicissima voveamus.

* *Imitandum hic exemplum Ioannis Georgii I. qui anno cIo Ic XVII. numo ad honorem SACRI SAECULARIS insigni*
C 2 *decus*

decus atque memoriam Friderici III. renovavit, cuius mentionem
 quoque facit Gab. Barth. Gramondus, sed iudicio levis ingenii et
 dicacis in optimum Principem, ac ut alias Cl. Sarravius ad Vinc.
 Fabric. de ipso scribit, lutulentum fluentis, lib. 2. hist. Gall. p. 177.
 Atque in tuenda veritate eius constantiam non potuit non ipse
 Franciscus Guicciardinus declarare, dum tradit, gravissimo Leonis
 Pontificis edicto minisque factum, quod Fridericus Lutheri causae
 vehementius faveret, ex interpretatione Caelii Secundi Curionis
 part. 2. hist. lib. 13. Apertissime hoc extulit Hugovaldus Mutius
 chron. lib. 30. quando scribit, Lutherum habuisse defensorem Fri-
 dericum Ducem Saxoniae. Neque abludivit popularis ipsius Seba-
 stianus Verronius lib. 8. chron. Eccles. p. 452. qui affirmat, quod Fri-
 dericum nactus fuerit Protectorem. Conf. Sleidan. lib. 1. et 2. com-
 ment. Quam in dando liberalis atque munificus fuerit erga cultores
 literarum, et quantum in iuvandis diligentiam adhibuerit, velex eo
 liquet, quod in Palaestinam profecturus, testamentum fecisset, ut si
 quid sibi humanitus eveniret, pauperes ex benignitate ipsius fru-
 ctum perciperent: diploma est apud Fabricium Or. Sax. lib. 8. p. 5.
 seqq. Casp. Peucerus, ut sibi hic in coniecturis placet, eius mortis
 causam refert ad Septenarium Saxonicae familiae fatalem, de di-
 vinat. gener. col. 21. Decessit enim postea, quam vixerat LXXII.
 annis, III. mensibus, IX. diebus, IV. horis, in templo arcis
 conditus. Baltb. Menciis in Syntagm. epitaph. lib. 1. p. 66.

et reliqui rerum Sax. scriptores. Philippus Me-
 lanchthon supremum officium ipsi testatus est
 carmine, quod extat in chron. Sax. a

Matth. Dressero aucto

pag. 527.

) : 0 : (

ULB Halle

3

004 779 975



VD17





228 *Bl. xvii, 7.*

FRII

SAPIE

CONR

SCH

IOANN

LII

S III.

TOR,

VELE

HIO,

AHNIO

ON.

NEM.

Vc
1694

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

